



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Quædam per eum sanitatum beneficia impetrata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

Quedam per  
eum sanitatis  
beneficia im-  
petrata.

benignitatis venerandas famuli sui reliquias honorantis. Ad exequias pia Matrona accesserat morbo comitali obnoxia, sperans sacri corporis attactu, Beatæ animæ precibus valetudinem sibi reddendam: quæ vbi quantum licuit, coram sacro corpore orans, adstitit, eodem iam condito occultauit se, & includi passa est, cum Templi fores occluderentur. Inde totam noctem ad beati viri sepulchrum vigil perseverauit, per eius merita, & patrocinium valetudinem rogans. Nec deinceps unquam eo malo tentata est. Ita primo statim die, quo terræ mandatum est famuli Deicorpus, tanquam generosum semē in salutem mortaliū cœpit admirandis beneficiis reflorescere: ut agnosceres vigere, ac pollere animum: nec pristinam siue voluntatem elanguisse, siue defecisse facultatem benignè faciendi. Non multi ab sepultura intercesserant dies cum aliæ, atq; aliæ extitere fruges.

Christophorus Reiffius senatorio ex ordine prolapsus ex equo, multis inde incommidis sextum iam mensēm grauiter conflictabatur: interdum acribus adeo torquebatur doloribus, totos ut decumberet dies: alias vero, si quid negotij ad-

mini-

ministraret, ægrè animam ducere, ac reciprocare posset. Medicamenta quæcunq; tentaret, omnia cadebant in irritum. Quam ob rem vicem viri dolens Barbara Misselonia vxor, veritaq; ne tandem offensis intestinis partibus ad periculosas veniendum sectiones effet, cum sibi Canisium protinus ab excessu patronum in cælo cooptasset, ad eius tumulum adit. Hic prouoluta in genua multum ipsum rogat patronum, vt apud Deum commendatam viri valetudinem habeat, perq; patrocinium eiusdem ac merita ipsum obtestatur Deum, opem vt ægro ferat. Ab precibus domum recta contendit. Reuertentem latus, & gratulabundus vir excipit, iam sedatos dolores: iam expeditam respirandi viam, iam se penitus valere. Nihil dubitauit prudens femina benignitate id euenisse Patroni sui Canisij, vt prorsus tempore eodem, dum ipsa vota faceret, vir conualefceret. Ac deinde rem omnem coram testibus apud Veronium eo tempore & Præpositum Friburgensem, & Vicarium generalem in Diœcesi tota Lausanensi sancte, riteq; affirmauit.

Alterum iam diem honesta Matrona difficultate partus laborabat magno salutis suæ, magno

*Rosarium Cæ-  
nisi / alubre  
parturientibus.*

Ec 2

prolis

